



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

XXI. Quia est Salus sibi servientium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

sine arte pictor. *Abbat Marianus lib. 2. pag. 14.* Quid illa quæ hodie Venetijs colitur dicta de Schola? eam Pastor Ariminensium pecorum, ingenio & manu rusticus rudissimè formavit, sed cum vultum nullatenus exprimere possèt, eum Angelj notam juverunt, quàm pro eo totum fecerunt *idem fol. 46.*

21. Quia est Salus sibi servientium.

Mille probatum experientijs est quod *S. Damascenus in Meneis 21. Jan.* dixit. Nullus unquam ô Virgo Despara! qui ad te implorandam accurrit à te confusus discedit, sed gratiâ quam petit expressâ, mox tali donatur beneficio quod eum desiderij sui compotem reddat: illa est enim Pellis ovilla, *ut idem 22. Jan. ode 7.* quâ Adam indutus, illa Pellis Gedeon, quam revera pellem indutus processit pastor ille, qui totum me hominem superexaltat propter incomprehensam misericordiam suam. *Adhuc idem loquatur quod in eadem Menea Ecclesia Græca retulit 13. Februar.* Quicumque te sui Domini Matrem omni cordis contentione implorant, eorum tu desideria eventu plenissimo donas. *Ludovic. Blofus spec. cap. 12.* Dulcissima Maria nullum à se repellit, peccatores ad se piè & humiliter confugientes blandè suscipit, fovet, protegit, & Filio suo Maternâ fiduciâ reconciliat. Citius cœlum & terra perierit, quàm ipsa aliquem serio te implorantem suâ ope destituat. *Anselm. lib. de orat.* O Maria! tu peccatorem toti mundo despectum Materno affectu amplecteris, nec deseris, quousque Deus per te placatus ipsum suæ gratiæ recuperabit. *Bonav. in sim. Div. am. p. 3. cap. 19.* Verè Domina Regina est misericordiz, quia non est in hac vita, sic desperatus, sic miser, cui non impetres misericordiam Salvatoris, si ad tuum reclinabit regimen. *Idem in spec. Virgin. cap. 5.* O verè magna Mariæ gratia, quam multi ex eis ad misericordiam colliguntur, qui à Doctoribus & Rectoribus tanquàm incorrigibiles relinquuntur. *Et cap. 7.* Maria est signata per illam mulierem *4. Reg. 4.* cui clauso ostio domus suæ omnia vasa intus congregata, facta sunt miraculosè oleo plena; ad multiplicationem olei, vasa eriam vicinorum non pauca collecta fuerunt, idèò quoq; per vasa illa omnes signari possunt, qui plenitudinis misericordiz Mariæ particeps sunt. *S. Brigitta 1. Revel. cap. 32.* Quod attrahit aliquid est proprietas naturalis; sic apparet de Magnete attrahente ferrum, & idèò ipsa Virgo nos ferreos, id est in malo obstinatos, & duros debet attrahere propter proprietatem suæ misericordiz: sicut enim Dei proprium est semper misereri, & parcere, sic etiam & Matris ejus. *Richard. à S. Laurent. lib. 4.* Misericordia ejus & gratia communis est omnibus eam invocantibus in veritate, quasi dicat cum Filio Joan. 6. *Eum qui venit ad me non ejectionem foras.* Undè meritò

Mm 3

compara-

comparatur Olivæ Eccles. 24. *Quasi Oliva speciosa in campis*, non in hortis quia non est clausa. *Bonav. in Psalm.* Benedicite Virginem in toto corde vestro, misericordia enim illius plena est terra. Eccles. 24. *Quasi Platanus.* *Richard. à S. Laur. lib. 12.* Maria Platanus parulam se exhibet peccatoribus, omnes quantum in se est parata recipere sub sua protectione, & omnes refrigerare malo igne exustos, & nota quod ubi sunt folia lata, ibi est umbra magna, & magna est umbra protectionis ejus. *Bern. in Salve Regina.* Divinæ pietatis abyssum, cui vult, & quando vult, & quomodo vult; creditur aperire, ut quivis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum patrocinijs suis suffragia præstat.

De Civitatibus refugij habemus Exod. 21. Occasione harum Richard. à S. Laur. lib. 2. parte 3. Peccator debet ad Virginem confugere, quia ipsa est Civitas refugij. Fons verò omnibus patenti comparat devotus *Idiota contempl. 16.* Fons tuæ misericordie vivus, & indeficiens est, nunquam diminuitur, nec siccat: omnibus se potabilem reddit, nulli clauditur, nec negatur, haurit ex ea bonus, haurit etiam malus, omnibus prodest, nemini nocet, omnes recreat, omnibus dulcis est, omnes juvat, curat debiles, sanos confortat, miseros lætificat, justos prohehit, injustos purificat, ægros sublevat; bellantes tuetur, anxios consolatur, peccatores justificat, peregrinos roborat, inimicos deprimat, virtutes auget, peccata prostermit, pauperes refocillat, divites in humilitate custodit, iracundos mitigat, pacem procurat, immundos abluit, dissolutos retrahit, charitatem multiplicat, corda dividit, mentes elevat ad superna, opera misericordie exercere facit, somnolentos excitat, ad bene operandum cunctos inducit, in periculis defendit, omnibus necessitatibus occurrit, indulgentiam peccatoribus obtinet, Deo illos per amorem conjungit, incipientes dirigit, proficientes illuminat, perfectos inflammat, & timidos fortificat. *Bernardus serm. de B. V.* Maria omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitorum se fecit, omnibus misericordie sinum aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiæ. *Innocent. III. serm. de Assumpt.* Deprecare Mariam: quis unquam invocavit eam, & non est exauditus ab ea? *Guilhelmus Arvernus Paris. Episcop. in Rhet. Div. cap. 18.* Absit hoc à Matre Dei, quæ Fontem pietatis toti mundo peperit, ut cuiquam miserorum, suæ misericordie subventionem unquam denegat. Innumeris exemplis magnificorum operum misericordie tuæ, quæ operata es erga peccatores miserimos docuisti nos, & persuasisti de tua misericordia confidere, de tua pietate sperare, & in omnibus necessitatibus nostris, sub alas

turæ protectionis fiducialiter confugere. Patet quoque id ex verbis Dei Patris ad S. Catharinam Senen. uti filios. in monili refert. Mariæ Unigeniti glorioſæ Genitrici, à bonitate mea conſeſſum eſt propter Incarnati Verbi reverentiam, ut quicumque etiam peccator ad eam cum devota veneratione recurrit, nullo modo diripiatur à dæmone infernali: Hæc enim à me electa eſt, tanquam Eſca dulciſſima ad capiendos homines, & præcipuè animas peccatorum. Et ipſa Virgo apud S. Brigittam 6. revel. c. 10. Ego ſum Mater miſericordiæ, juſtorum Gaudium, & Aditus peccatorum ad Deum. Paulo poſt. Nullus eſt adeo maledictus qui quàm diu vivit, caret miſericordiâ mea, quia propter me leviùs tentatur à dæmonibus, quàm alias tentaretur. Nullus eſt ita alienatus à Deo, niſi omninò fuerit maledictus, qui te invocaverit non revertatur ad Deum, & habebit miſericordiam. Richard. à S. Laur. lib. 1. de laud. Virg. c. 2. Turris fortiſſima nomen Dominæ, ad ipſam confugiet peccator, & ſalvabitur. Ita planè, confugit ille famoſiſſimus peccator Theophilus de Adana civitate Cilicium, uti Siegb. & Maſſæus. Huic ob vitæ claritatè, mortuo Epifcopo Adanæ, offerbatur inſula, recuſavit, dein à novo Epifcopo agentibus calumniatoribus officio quod habebat, Oeconomi abſolutus, quod ita graviter tulit, ut conſulto mago dæmoni ſe inſcripſerit; Deum & Matrem ejus abnegaverit. Reſtitutus ad officium dæmonis ope, ſequenti die tactus dolore de ſcelere, per quadraginta dies cum precibus, lachrymis, jejunijs, egit apud SSmam Matrem, ut ei criminis veniam apud Filium exoraret; apparuit illi Virgo & ſyngrapham à dæmone receptam retulit. De hoc Divus Bernard. ſerm. ſuper verbis Apocal. Signum magnum ſic Virginem affatur. Tu peccatorem quantumlibet foetidum non horres, non deſpicias, ſi ad te ſuſpiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit, Tu illum à deſperationis barathro piâ manu retrahis, ſpei medicamen alpiras, foves, non deſpicias, quousquè horrendo Judici miſerum reconcilies. Famolum hujuſ tuæ dignitatis teſtimonium eſt per te Theophilus reſtauratus gratiæ.

Sed placet adducere & de Catharina, pulchrâ incredibiliter, ſed famoſâ meretrice Romanâ: quod refert Alanus de Rupe, in Yſal. p. 5. cap. 59. Thomas de Templo. Perſuaſit huic S. Dominicus ut oraret Roſarium Divæ, dum hæc faceret, & nihilominus à libidine non deſiſteret: obtulit ſe ei Chriſtus ſpecie adolescentis formoſi: acceptat illum Catharina more ſuo, & cœnam exhibet: & ecce omnia ferula cruenta apparent: miratur Catharina, tamen hoſpitem ad thalamum à cœna invitat: ſequitur Chriſtus, & ingreſſus mutatur in pueri formam geſſantis in humeris crucem, ac in capite coronam de ſpinis, & ait illi: O Catharina, Catharina, jam à tua ceſſa ſtulticia: tum ſe mutat in eam ſtaturam viri, in qua paſſus.

Ecce

Ecce vides Filia quanta pro te sustinui, quæ excedunt omnes pœnas inferni, quia potestas mea non fuit humana, sed Divina. Rursus apparet illi mutata specie in solarem claritatem. Ecce vides Filia quanta pro te, nec quod tibi apparo pro tuis meritis facio, sed pro pœnitentiæ exemplo. Deniq; dispareret visio, & Catharina sentire cœpit dolorem passionis Dominicæ, confessa Catharina die sequenti S. Dominico, & tandem illi conspicuam se dedit B. Virgo cum S. Catharina Martyre & ait: Ecce Filia multū peccasti, plurimū pœnitere oportet, & suscipit illi, ut quotidie faceret tres flagellationes, quavis vice quinquaginta ictus sibi infligendo. Vidit deindè S. Dominicus mirandas circa hanc foeminam visiones, quas cum miraretur, tam subito circa tantā peccatricem fieri, audivit à D. Virgine: Cur nunc miraris in talibus? nescis quod peccatorum sum amica, & quod in manu mea est Dei clementia? ita ergo volui tibi de hac filia ostendere, quatenus mundo prædices, quod nullo modo debeant, pro quantiscunq; peccatis peccatores desperare, sed semper in Domino confidere, & signanter illi qui volunt sub chlamydem meam confugere cum Catharina. Hæc deindè Catharina sanctissimè vixit, & obiit; & sepulta in Ecclesia Lateranensi S. Joannis. Meritus erat & ille latro pœnas inferni, de quo *Peleb. art. lib. 12. Stellaris part. 2. art. 1.* Hic cum didicisset eum opem Virginis habiturum, nec in expiatum decessurum, qui ejus sabbata jejuniis honoraret: fecit id; captus tandem, plexus capite, caput abscissum cœpit continuo inclamare, Confessionem, Confessionem; qui aderant advocarunt Sacerdotes: cui latronis caput narravit miraculosè à B. Virgine suam animā retētam in corpore, nè sine pœnitentia moriendo periret. Confessus tandem, & ab omnibus preces poposcit, ac feliciter animam dimisit. *Idem narrat quod anno 1437. accidit.* Dum Sigismundus Imperator in partibus Trans-alpinis bellavisset, occisus inter cæteros quidam miles Divæ addictissimus. Post multos annos contigit ut Imperator dictus eundem locum accederet, tum auditus ab omnibus fletus, ac lugubris ejulatus. Inquisitum undè hæc voces prodirent: tandem repertum quoddam cadaver, putridum & ita corruptum, ut spinæ enascentes per illud transierint, hinc illi fletus prodibant. Quod ubi illi propius se admoverunt, sic est locutum: Habetisne Presbyterum, cui confitear? adducite mihi: dixit præterea se fuisse militem Sigismundi, ibidem occisum: ob devotionem erga Virginem id illi datum, nè anima à corpore ejus solveretur, priusquam pœnitentiam posset agere, confessus, deindè obmutuit cadaver. *De alio idem narrat,* qui cum navigaret cum socijs per Danubium, fracta nave, ut imperitus nandi descendit ad fundum, socij enatarunt, & mox conquiescerunt piscatores, qui corpus requirerent, sed frustra labora-

labora-

laborarunt triduo: ille autem in fundo vixit, & ibi talia audivit. O homo! ecce mori debebas & damnari, sed quia ser vivisti B. Mariæ Matri Dei, donatum est tibi ut vivas, & agas poenitentiam & ita tertio die proprijs viribus è flumine ad ripam erepsit: *Accedat hic de Innocentio Papa 3. ex vita S. Lutgardis apud Svirium.* Comparuit illi post mortem suam flammis cinctus, mirata id Lægardis in tali Pontifice, qui ab omnibus Sanctus habebatur: addit ille se damnandum fuisse, nisi per intercessionem pijsimæ Matris Dei, cujus servis monasterium condidit, in extremis gratiam poenitentiae accepisset. *B. Hermannus* sic Virginem allocutus, id ipsum prædicat. Qui te quærit, nunquam perit, tu quem amas, tuus erit, Beatus qui te sequitur. *Et rursus,* Gaude Fons qui non siccaris, ô quam suavis dum gustaris, tuus rivus, amor vivus, per medullas transivus, Beatus quem inebriat. *S. Anselm. hym. 1. ad Virg.* Tu es enim Mater Christi suavis memoriz, ob quam nobis sunt apertæ januæ paradisi, quæ tam potens es in omni bonitatis opere, ut omninò sit beatum, qualis sit agnoscere. *Eadem & sententia S. Bona vent. in Psal.* Beati quorum corda diligunt te, Virgo Maria, Beatus vir qui timet Dominum, & beatû cor quod diligit illam, beati immaculati in via, qui Matrem Domini imitantur, beati imitatores humilitatis ejus, beati participes charitatis ejus, beati persecutores virtutum ejus, beati conformes imagini illius, beati qui conceptum & partum ejus venerantur, beati qui devotè ei famulantur. *Consonat Rich. à S. Laur. lib. 2. pag. 8. de laud. B. Virg. ad Prov. 3. aliudens.* Qui tenuerit eam id est Mariam perseveranter, nõ declinans post meretricias voluptates, ut dicere possit de ea, sicut ipsa dixit de Filio Cant. 3. *Tenui eam nec dimittam,* ipsi videlicet inseparabiliter adhærens, beatus hic in spe, in futuro in re, beatus ad bonum suum natus, beatus id est benè viventibus aptus, beatus quia omnia optata ei succedent in futuro. Propter quod *Geison tract. in Magnif.* Illos non beatificare nequeo, neq; sufficio, quos ô Beata tibi feceris devotos, quomodo enim non beatis, quibus ubera charitatis lactanda, quibus os pietatis osculandum non designata fueris ostendere. *Et tract. 8.* Beatus ille cui Beata dederis affectum diligendi te, honorandi te. *Blosius Endologia 1. ad Mariam.* Beati qui diligunt te Domina, beati qui te venerantur, beati terquè quaterquè & amplius, qui per sanctimoniam tibi familiares sunt effecti. Meritò *Theopbanes hymno de Annunt. Dei Genitricis,* illam vocat: Sponsarium immortalitatis, & Sanctuarium manifestum. *Et Damasc. in Annunt.* Spem tuam habens, ô Deipara servabor, defensionem tuam possidens non timebo, persequar inimicos meos & in fugam vertam, te solum habens ut thoracem, protectionem tuam, & præfens auxilium tuum; nam devotum tibi esse arrha est quædam salutis, quam Deus ijs dat,

quos vult salvos fieri. Videtur id insinuatam *Judic. 12.* Qui enim bene pronuntiabat *Schiboleet* quod significat spicam salvabatur, *Spica* est Virgo quæ nobis granum tritici attulit. *1. Reg. 25.* juravit David totam domum Nabalis se verfarum, una *Abigail* omnes conservavit. *Gen. 12.* Abraham orat Saram: *Dic obsecro quod sum mea sis:* Erat enim in gravi periculo. Hæc omnia fuerunt figuræ Virginis. *Ecclesiæ illi Græca in Men. canit. 24. Jan.* Tuus partus ô Virgo generis humani jam olim condemnati vincula diremit, nosq; sibi per novæ gratiæ nexum alligavit, illis omnibus benedicens, quicumque te ut Dei Genitricem honorant. Hanc benedictionem nomine protectionis exponit *Richard. à S. Eaur. lib. 2. part. 1.* Protegit Christus servos suæ Genitricis, ut veraciter dici possit, qui habitat in adjutorio altissimæ *Dominiæ*, in protectione Dei cœli commorabitur. Hoc autem tam certo fit, ut *B. Alanus cap. 27.* dicat: fuisse usitatum in Ordine S. Dominici, si quæpiam qui vidisset in aliquo negligenter agentem, confidenter negligenti tali aiebat. O Frater, Frater, dubito certissimè, quod psalteriû nō dicatis Virginis Mariæ, aut quid saltem dicatis indevotè. Quam verò benedictionem acciperent devotè colentes Virginem recitatione rosarij, idem recitat *lib. 3. cap. 15.* Per hoc scelesti peccatores & mulieres in sanctam vitam mox convertebantur, gemitus & fletus dabaturus abundantia, poenitentia causa hujus Psalterij etiam à puellis & pueris fiebant incredibiles, devotionis ardor ad Deum sic florebat, ut Angelos in terris vivere putares: fides quoque sic roborabatur, ut plerique cuperent libentissimè mori pro fide, hujus virtute Psalterij sanctitas maxima, & contemptus mundi, atque honor Ecclesiæ, justitia Principum, pax Civium, honestas & communitatum & domorum vigeat. *Idem inducit Virginem Sanctam dicentem cap. 16.* Quando defecit hoc Psalterium Ordo quidam in quàm plurimis defecit: ut jam parietes, picturæ, & libri, & epitaphia produnt, etsi linguæ hominum dicere nollent. Expresisse videtur in Jordane Deus præsentem benedictionem: *Jordanis* exhibuit obsequium *Aræ* quæ est imago Deip. *juxta B. Jldes. serm. 1. de Assumpt.* quam transmisit sicco alveo jam Christus refert illi gratiam dum in illo lavatus, toto illum corpore consecrat, ut fiat alijs in ablutionem vitalem. Merito *Bern. serm. Signum magnam.* O Felix Maria! qui te diligit, Deum honorat, qui tuum nomen puro corde invocat, quidquid postulat indubitanter consequitur. *Pelbartus in stellario lib. 12. p. 1. tit. 2.* *Abraham* dixit Deus: *Benedicam benedicientibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi* *Gen. 12.*, etiam *Jacobo* dixit: *Gen. 27.* *Qui maledixerit tibi, sit maledictus, & qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur.* Hoc dixit per os S. Patriarchæ Spiritus S., quanto magis ista sunt credenda de B.V. & eam benedicientibus?